Oeconomie Saull.

#

Recep. d. 22 7br.
Vilnae.

Illustrissime ac Celsissime Domine Dux Curlandiæ
Supreme Oeconomiæ Szaulensis Oeconomiæ
Domine Domine Noster Clementissime

Multis onerata pressuris Oeconomia Sacræ Rgæ Mtis Szaulensis, nullam aliam inuenire potest post Deum protectionem in terris, nisi Illustrissimum ac Celsissimum Dominum, Dominum suum Clementissimum, ad quem Oeconomia suas moderni temporis injurias tempore consistenciæ Militiæ Sæ Rgæ Maiestatis illatas deferant, illas verò sequentibus punctis expressas per nostros delegatos supplicissime porrigimus consummatissimo judicio Dni Nostri Clementissimi discernendos.

Vt Perillustres et Magnifici Dni Officiales Militiæ Sæ Rgæ Mtis quidquid supra debitas suas portiones perceperunt, sive in parata peccunia, sive alys quibusvis exactionibus sine ulla procrastinatione persoluant incolis Oeconomiæ Szaulensis. uti boves, porcos, agnos, anseres, galos, avenam et similia quæ usui concernunt, siquidem, ea omnia distrectioni triduanæ adiungunt, et volunt sibi donari

Vt iydem Magnifici Dni Officiales desistant famulis suis sustentationem dari a subditis Oeconomicis siquidem post portiones peccuniarias vel acceptas vel accipiendas, peccudes suos, equos, boves, agnos,

per villas sustentanda mittunt, adjunctis nonnullis famulis in frustraneam sustentationem

Illustrissimi Dni Commissarij Sacrae Regiae Majestatis Vecturas (vulgo podwody) vel ad Rigam vel alio quocunque proficisci volentibus Dnis militibus, Scriptis suis interdixerant ne sumant, uti et Magnifici Dni Officiales convenerunt; nunc autem aliter fit, cum Dni minores Officiales quo velint pergere sumunt equos, et novissime indictum est praeterita septimana ad Rigam ut vecturae paratae sint cum omnibus utensilibus pro milite et illius equo ut desistant ab his, singulare scriptum expetimus ab Illustrissimo a Celsissimo Domino

Scriptum extat Perillustris ac Magnifici Dni Generalis a Brauzen quo assecuratum est Oeconomiis, quod sexagintae porciones quae in Oeconomia sumpserunt panem per Novembrem et aliquot dies, debuerant solvi aut parata pecunia aut defalcari in mense Xbri ex portionibus quae sustentantur pro tunc; nihil adhuc factum petimus Illustrissimam Celsitudinem suam per ordinationem decerni indilatam solutionem sexcentarum portionum.

Portiones supra Universalem Ordinationem Sacrae Regiae Majestatis distributas esse in Oeconomia Szaulensi notatur, cum multo plures inveniantur quam in ordinatione expressae sint ut illud tollatur quod supra positum est et qui receperunt pecuniam in abundanti, restituant.

Supplicissime advolutis plantis Illustrissimæ Celsitudinis suæ rogamus ut elapsis his duobus Mensibus post perceptas Portiones pro præfatis hisce duobus Mensibus 9bri et Xbri, in alia loca transferantur, si vero sint mansuri in Œconomia, certo certius non est speranda solutio census, et si non possint transferri, saltem ut aliunde Portiones pecuniarie solvendæ constituantur et sustententur de locis alys. His itaq brevissime propositis injurys Œconomiæ per Illustrissime Celsitudinis suæ expressum scriptum seu ordinationem particularem pro Œconomia humillime ipetimus mederi et interdici ne imposterum si miles mansurus est in Œconomia similia præiudicia fiant. subvenire Tam cum experiemur Clementiam Illustrissimæ Celsitudinis suæ pro incolumitate et felici regimine diuturne conservando supremum Numen exorabimus manentes.

Illustrissimæ Celsitudinis suæ
Domini Nostri Clementissimi

Infimi Subditi
Advocati et Coloni
Œconomiæ Sacræ Regiæ
Maiestatis Saulensis